

pro oppidum, ad hostium sustinendos impetus operibus, ac munitionibus fulciretur; rei administrandæ cura regni magistratibus demandata.

Licet vero hoc anno Turcæ quiescerent; attamen ingentia toto mediterraneo a piratis damna illata Italiam attigere, cum ex Caria, Lycia, aliisque Asiæ minoris provinciis complura navigia, atque myoparones egressi, pars in superum, pars in inferum mare delati, direptionibus, ac captivitatibus ingentem mortalibus metum incuterent; atque in Adriaticum sinum inveci, usque in Illyricum, ac Venetas oras penetrarent; plurimisque navigiis interceptis, trepidatione, ac terrore accolæ afficerent. Senatus, ne piratarum insolentiam inultam pateretur, atque subditorum rebus, fortunisque prospiceret, ut decem triremes ad pugnandum apprimè instructæ, atque expeditæ emitterentur, decrevit. Earum præfecti cives navaliū rerum usu, ac disciplina insignes lecti Philippus Bragadenus, Marcus Quirinus, Thomas Michaelius, Aloysius Raymondus, Antonius Bragadenus, Bernardus Superantius, Georgius Cornelius, Jacobus Mustius, Laurentius Bembus, Marcus Michaelius; qui statim conscendere, ut quamprimum Christophoro Canali, classis legato, se adjungerent. Antonio Canali, Adriatici sinus præfecto, datæ literæ, quibus ad rem naviter, atque impigre gerendam incitabatur. Is senis triremibus Piceni oras legens, cum duas piratarum biremes in altum proVectus acriter esset insequutus, in Anconis litora impingere coegit. Turcas in penitiora loca mortis metu abdere se sentientes Picentes captivos fecere; Christiani supra centum, qui ad transra ablegati miserrima servitute premebantur, in libertatem vindicati. Canalis præfecti, ac Joannis Baptistæ Bembi trierarchi virtus concelebrata.

Christophorus quoque Canalis legatus, magni atque acerrimi animi vir, nullis laboribus fractus, vel periculis territus, in excurrando mari egregie munus obibat. Circa Cephalenem tres prædonum biremes adortus, cæsis, atque obtruncatis hostibus, depreffit. Mox saxonem prætervectus, ad Iapygium promontorium quinque longas hostium triremes, Mustapha duce, qui Lilio Hætruriæ ducis insula ortus, christiana sacra ejuraverat, conspicatus, in eas impetum facit. Acre certamen

1562

*Piratarum
direptiones.*

*Triremes
ad piratarum
insolentiam
inibendam
Venetiis
emissa*

*Piratarum
biremes ab
Antonio Canali
capte.*

*Christophori
Canalis
cum Mustapha,
piratarum
trierum
duces,
pugna.*